



# Disputatio juridica inauguralis ad Legem Rhodiam de jactu

<https://hdl.handle.net/1874/343824>

46.

D I S S E R T A T I O J U R I D I C A  
I N A V G U R A L I S,  
*A D*

Legem Rhodiam de jactu,

*Q V A M,*  
SOLE JUSTITIÆ ILLUSTRANTE  
Auctoritate Magnifici *D. Rectoris,*

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Nobilissime  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

NICASIU S LE CLERCQ, Breda-Brabantus.

*Ad diem 2. Martii, horis locoque solitis.*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cīc Ioc xciii.

*Spectatissimo Gravissimo Pruden-  
tissimoque VIRO,*

D. D. ANTONIO VAN  
B U E R S T E D E ,

Quæstori fidelissimo , Urbis  
Bredanæ quondam Scabino,  
Præsidi , &c. ob innumera  
paterna in nos collata bene-  
ficia , Avo suo , filiali amore  
ad rogum usque prosequen-  
do , colendo , venerando.

*Dissertationem hanc Inauguralem*

Devotissimo animo  
& pectore  
Inscribit

NICASIUS LE CLERCQ.  
*Author.*



DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
LEGE RHODIA  
DE JACTU.  
CAPUT I.

**L**ege Rhodia, quam Romani a Rhodiensibus navigandi solertia, navi-  
liumque commerciorum copia cele-  
berrimis latam, non tantam ut justam  
æquamque probarunt, sed & in im-  
mensa sua Pandectarum volumina re-  
tulerunt, cautum est, si *navis plus*  
*equo onerata levanda grata*, (quod aut-  
enim immoderata lucrandi ipsius ma-  
gistro, aut exercitoris aviditate facillime contingere po-  
test, ita ut orta tempestate adversus fluctuum insultum na-  
vis exurgere nequeat, sed opprimenda veniat) *jactus mer-*  
*cium factus est, omnium contributio*ne *saciatur, quod pro omni-*  
*bus*

*bus datum est l. 1. ff. d. leg. Rhod. æquissimum enim, esse  
ait JCtus in l. 2. eod. commune detrimentum fieri eo-  
rum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt,  
ut res suas salvias habeant.*

## C A P. I I.

**I**gitur ex nave ob nimium onus laborante, si jactus mercium factus fuerit, amissarum rerum dominis nulla contra salvatarum dominos competit actio, sed contra navis magistrum actione locati conducti experiri possunt: sed hic magister rursus cum reliquis, quorum merces sunt, salvæ, ex conducto, ut detrimentum pro portione communicetur, agere potest. *l. 2. b. 1.* ita demum magistro contra alios erit actio si non levi, sed justo metu jacturam fecerit, alias recte interdum contributio ei negari posset; nam posset E. G. orta, non tamen satis gravida, tempestate, fieri ut magister navis (malo vestitate detrito corruptiove) fingat necessum esse, ut malus a navi abscindatur, ne cum omnibus pereat: quod ideo fingeret quia si revera in periculo presenti omnes essent, præstaret malum dejicere quam una cum navi interire, & hoc casu malo dejecto nihil æquius esset, quam ut salvati per hocce remedium ad novum malum cæterumque detrimentum contribuerent. Ut autem talibus magistrorum figmentis præveniatur, priusquam jactus mercium fiat, haud inconsultum erit, ut a magistro commune & ingruens periculum omnibus proponatur, iisque ad jacturam unanimiter suffragantibus jam postea ut contribuant rerum salvatarum domini, æquitati & rationi juris convenientissimum erit.

C A-

## C A P. III.

**C**ontribuere jam omnes , nullo personarum respectu  
habito , quorum interest jactum fieri , oportet : at  
interesse illud pecuniarie tantum intelligi debet ; si  
enim viatores jactu mercium vitam servarunt , ii ut con-  
tribuant nec ratio nec æquitas suadet : corporum enim li-  
berorum nulla est existimatio. l. 2. §. 2. b. t. Ipse etiam  
navis dominus pro portione ad contribuendum obligatus  
est , cum ejus interfuerit navim exonerari ut salva esset.  
Portio autem pro æstimatione rerum , quæ salvæ sunt ,  
& earum quæ amissæ sunt præstari solet : nec ad rem per-  
tinet si hæ quæ amissæ sunt , pluris veniri poterunt ; quo-  
niam detrimenti non lucri fit præstatio : sed in his rebus  
quarum nomine conferendum est , æstimatio debet habe-  
ri non quanti emptæ sunt sed quanti veniri possunt. l. 2.  
§. 4. b. t.

Jactui etiam æquiparatur si jacturæ occasione merces aliae  
detectæ atque ita aquæ aspersione corruptæ sint : nam &  
corruptionis nomine dominis mercium corruptarum con-  
tribuendum est , si plus sit in damno seu corruptione ,  
quam in contributione etenim si plus sit in contribu-  
tione quam est in damno per aspersionem illato , ipsi  
mercium corruptarum domini adhuc aliis , quorum res  
projectæ , pro rata contribuunt , l. 4. §. ult. b. t. Et ja-  
cturæ quoque simile est , si merces quædam in Schapham  
conjectæ sint ut navis portum facilius intraret , & Scha-  
phæ perierit. Contra vero si Schaphia cum parte merci-  
um salva est , navis periit , ratio haberi non debet eorum ,  
qui in navi perdiderunt , quia jactus in tributum nave sal-  
va venit. l. 4. pr. b. t.

## 6 DISSERTATIO JURIDICA

Proinde nec contribuendum si ipsa navis violentia tempestatis damnum senserit ; l. 6. b. t. Nec etiam , si piratæ res quasdam pèr vim abstulerint quia res ista communem utilitatem non concernit , sed singulos quibus casu damnum illud accedit , qui & domino nocet nisi pro communi liberatione piratæ unius vectoris imercibus contenti fuerint , quo casu obtinet ratio contributionis . l. 2. §. 3. b. t.

Casus in l. 4. & 1. b. t. occurrens nobisque excutiendus hic est. Navis per jactum mercium aliquarum levata , postea tamen perit , & merces receptæ per urinatores (quorum ministerium egregie admodum hisce versibus describit Manilius l. 5. Astronomiæ .

*Illis in Ponto jucundum est querere Pontum ,  
Corpora qui mergunt undis , ipsumque sub aniris !  
Nerea & aquoraas conantur visere nymphas ,  
Exportantque , maris , prædas & raptæ posundo  
Naufragia atque imas avidi soruntur barenas . )*

an earum respectu habenda ratio ejus cujus merces jactæ navis levandæ caussa ? Atque hoc maxime a nobis affirmandum est , quia sufficit negotium utiliter semel gestum esse per jactam ; ut existentes aliorum merces , licet facta urinatorum , oneri contributionis subjectæ sint : E contra is qui jactum fecit , rebus suis per urinatores receptis , aliis , qui naufragium postea fecerunt , conferre non cogitur , quod eorum merces videri non possint amissæ navis levandæ caussa ; aut saltem non gratia salvandorum mercium , quæ jam jactæ .

Quid ? si mercibus conservatis quidem , sed navis deterior reddita , aut tempestate adversa tota depressa aut dejecta sit . Tali in casu nulla facienda est collatio , quia dissimilis earum rerum caussa est , quæ navis gratia parentur & earum pro quibus mercedem aliquis acceperit : nam si

e.g.

e. g. faber incidem, aut malleum fregerit, non imputatur ei qui locaverit opus, sed si voluntate vectorum vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet, l. 2. §. 1. b. t. Ita & hoc definivit JCtus in l. 5. eodem; cum inquit: *Amissa navis damnum collationis confortio non sarcitur per eos, qui merces suos naufragio liberarunt: nam bujus aequitatem iunc admitti placuit, cum ja-*  
*ctus remedio cateris in communi periculo, salva navi, consultum est.* Ad hoc etiam facit quod JCtus Paulus dicit. l. 7. b. t.  
*Cum depresso navis aut dejecta esset; quod quisque ex ea suum servasset, sibi servare respondit, tanquam ex incendio.*

## C A P. IV.

**S**ed Navis in salvum jam si deducatur cum reliquis rebus salvatis contributio tum est facienda in qua mer- cium pretiosarum non gravantium (ut sunt gemmæ vestimenta, annuli similiaque pretiosa) domini æque ac mercium non pretiosarum multum gravantium in Contri- butionis calculo partes suas præstare debent: l. 2. §. 2. in fine h. t. in qua porro refertur, exceptionem in contri- buendo pati ea quæ consumendi Caussa imposita forent: quo in numero essent cibaria: Cujus exceptionis ratio hæc redditur a JCto: quod si quando cibaria in navi- gatione defecerint, quod quisque haberet in commune conferret. Et quod magis est, si tali rerum statu in an- nonæ caritate quis cibaria sponte in commune conferre noller, alios præsentes fame semineces prædæque isti in- hiantes sine furto committendo cibaria ista auferre latran- tique stamacho offam jure objicere posse, probare conabi- mur. Primo quia in necessitate gravissima jus illud pri- stinum rebus utendi, quod ante dominiorum introductio- nem inter homines vigebat, reviviscit, tanquam si com- munes

8 . DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O JURIDICA

mu<sup>n</sup>es mansi<sup>s</sup>sent , quia in omnibus legibus humanis ac  
proinde & in lege dominii , summa illa necessitas videtur  
excepta. Nam & inter Theologos recepta sententia est ,  
in tali necessitate si quis quod ad vitam necessarium est  
sumat aliunde , eum furtum non committere : cujus defini-  
tionis non hæc est cau<sup>s</sup>a , quam nonnulli ad ferunt , quod  
rei Dominus ex caritatis regula rem egenti , dare tene-  
tur , sed quod res omnes in dominos destinatæ , cum be-  
nigna quadam receptione primitivi juris videantur. Nam  
si primi divisores interrogati sui<sup>s</sup>lent quid de ea re senti-  
rent , respondi<sup>s</sup>sent cum patre Seneca , L. ix. Contr.  
xxvii. Controv. iv. Necessitas , inquit , est quæ navis ja-  
elu exonerat ; Necessitas est quæ ruinis incendia opprimit ; Ne-  
cessitas est Lex temporis. Necessitas denique magnum humanae  
imbecillitatis patrocinium omnem legem (humanam scilicet aut  
ad humanum modum factam) frangit. Secundo furtum  
in tali necessitate non committi ex eo afferimus ; quod si-  
milarque Deus Ter. Opt. Max. hominem in mundo ad sui  
gloriam constituisset , ipse homo sibi conciliatur , & com-  
mendatur ad se conservandum , ac ad suum statum , & ad  
ea quæ conservanda sunt ejus status diligenda , alienatur au-  
tem ab interitu iisque rebus quæ interitum videantur afferre :  
primumque officium est , ut se quis conservet in naturæ sta-  
tu : deinceps ut ea teneat , quæ secundum naturam sint ,  
pellatque contraria : ex quibus clare paret finem Deum ho-  
mini dedisse ob quem constitutus est : si igitur Deus de-  
derit finem , dedit quoque media ad istum finem ; media  
igitur , ut se conservet in naturæ statu , in navigatione an-  
noriæ caritate existente , alia non sunt , quam auferre  
Cibaria , atque ita aptas potius & integras omnes partes  
corporis , quam eas fame imminutas aut etiam pallida mor-  
te detortas habere longe præstabit.

C A-

Contributione jam facta, restat adhuc videndum ubi  
jacta, sint ab alio jam occupata ad quem pertine-  
bunt? Quod extempore nos docebit Julianus JCtus


in l. 8. b. t. cum inquit; Qui levandæ navi gratia res ali-  
quas projiciunt, non hanc habent, mentem, ut eas pro-  
derelicto habeant: Quippe si invenerint eas, ablatores,  
& si suspicati fuerint, in quem locum ejectæ sunt, requi-  
situros: ut perinde sint, ac si quis onere pressus in viam  
rem abjecerit, mox cum aliis reversurus, ut eandem au-  
ferret. Ut nec fiunteorum, qui forte, dum jaciuntur,  
Schapha excipiunt, sed domino restituenda, ut innuit  
JCtus in fin. l. 2. b. t.

Manent itaque, res jactæ dominorum: ut & naufraga  
navis, & tabulæ quæ post naufragium ad littus appulere,  
ut apertissime videre est, ex Nova Constitutione Frediri-  
ci Imperatoris de Statutis & Consuetudinibus &c. Navi-  
gia quoquinque locorum pervenerint, si quo casu contingente rupta  
fuerint, vel alias ad terram per venerint, tam ipsa navigia, quam  
bona illis integra reserventur, ad quos spectabant antequam navi-  
gia hujusmodi periculum, incurrisse: sublata penitus omnium lo-  
corum consuetudine quæ huic adversatur sanctioni: nisi talia sint na-  
vicia, quæ piraticam exerceant pravitatem, aut sint nobis, sive  
Christiano nomini inimica: Transgressores autem hujus nostra Con-  
stitutionis bonorum suorum publicatione multentur: & si res exige-  
rit, eorum audacia iusta mandatum nostrum modis alius compesca-  
tur. Huic sanctæ Constitutioni multas diores improbas-  
que Consuetudines, & leges quasdam civiles plane insultas  
(ut in Hispanias, Anglia, Gallia) contrariari constat;  
quæ bona naufragorum statim, Fisco addicunt: sed non  
mera injuria est? nulla probabili causa præcedente,

10 DISSE<sup>T</sup>AT. JURID. INAUGUR.

dominium suum alicui auferre. Ad quod haud inconcinnus  
Euripides Helena vociferat: *Sum Naufragus spoliare quod genus est nefas Quod enim jus habet fiscus (verba sunt Constantini) in aliena calamitate ut in re tam luctuosa afflictis superaddat afflictionem.* Inservit quoque hic vox Dionis Prusiensis oratione 7. de naufragio loquentis: *al sit o Jupiuer, ut lucrum captemus tale ex hominum infortunio.* Hæc nobis sufficere videntur, externis Academicis solennitatibus satisfactura; quæ Palmam jam jam arripientibus, optatamque metam contingentibus impositæ sunt: Interim Deo Triuno sit Honos & Gloria; is nostris porro actionibus divina benedictione addat Vigorem, ut imprimis ejus proximique comodum perpetuus illarum sit.

F I N I S.



CO

# COROLLARIA.

Potestatem quam parentes in liberos suos  
habent, non ex generatione, sed a Deo  
acceperunt.

V.  
II.

Inter Fratrem & sororem iure gentium  
non fit incestus.

III.

Quatuordecim ex hereditationis causa in  
Novell. 115. Cap. 3. expressa, ad  
similes & graviores extendi necessario  
debere, censemus.

TER

B 2

IV.

# COROLLAIA

Definitionem juris Naturalis in l. i. §. 3.  
ff. D. just. & jur. a Jcto Datam fal-  
sissimam statuimus ; & ne juris natu-  
ralis quidem Umbram in Bruta cade-  
re affirmamus.

V.

Polygamiam & juri Naturali, Divino,  
Genitum & Civili e Diametro contra-  
riam esse apodictice demonstrabimus.

III.



VI.

B.

TER

**N I C A S I U S**  
**L E G L E R C Q ,**  
Doen Hem het Doctorshap in beyde de  
Rechtsgeleertheyt wiert opgedragen.

**S**EER Eer Heerelijk en schoon , uitneemend  
voor ons menschen  
Is't redelijk vernuft : wie sou daar  
niet om wenschen ?  
Daar door is't dat men vast van d'aard  
ten Hemel sweeft  
En 't recht van onrecht scheid , waar rechtsgeleert-  
heyt leeft  
Voor Weduwen en Wees : een trooster seer gewiss  
In hoog en bange noot , daar dan geen Helper is.  
't Raakt Uw NICASIUS : den tijd is nu gebooren ,  
Voor arbeyt loon t'ontfaan : geeft nu geen moed  
verlooren  
Naa dat g' in Wiskunst hebt en Wijsbegeert getoont  
Uw vlijt en Uw verstant : nu eyndlijk werd ge-  
kroont  
Voorstander van het recht : weerd dapper van Uw aff  
Het tegenspreeke fell : siet daar der eerden staff  
Uw toegeschikt ten loon in vollen glans en luister

Nu Uw verstant niet meer mag blijven in het  
duifter.

Treed toe dan Heer CLERCQ; die nu geen moet  
sal spaaren

Om rechte eygenaars haar goederen te verklaaren  
Tot spijt van meenig een. Bekleed dan 't Raadhuys  
mede:

Zijt stut en steun-pilaar van deugd en goede zeden.  
Soo sal Uw loff en naam voor eeuwigh altijt leeuen  
Schoon 't lichaam ons begeeft, geen eer sal Uw  
begeeven.

*In Genuinum fraterni amoris  
indictum hæc posuit*

*ANTHONIUS LE CLERCQ.*  
Med. & Philos. Stud.



IN LAUDEM

Præstantissimi & eruditissimi Viri Juvenis  
Nicasi Le Clercq,

NICASI  
LE CLERCQ,

Cum J.U.D. renunciaretur.



Editio qui publico tribuis bona nau-

frago fisco

Et mersas merces reddere cuique  
negas.

Hic te bellator superat, ritusque nefandos,

Oppositum firma dum ratione probat.

Vicit io! LE CLERCQ. pictas adferte coronas

Militis ac nostri cingite fronde caput.

Novit enim quid jura simunt, quid fasque nefas-  
que,

Quid

Quid decreta patrum curia, nostra, petunt.

Illiū hoc opus est, his est versatus in armis.

Sub tali vellem bella movere duce.

Perge, cui tot dona dedit dotesque Minerva

Eximii generis flosque decusque tui.

Perge tuos superare hostes sic funera vinces,

Vivet & aeternum post tua fata decus.

Sic invita Minerva cecinit

P. W. C R O Y Z E.

